



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Johannis Michaelis Dilherri Contemplationes, Et Suspiria Hominis Christiani

Dilherr, Johann Michael

Norimbergae, 1660

XXII. De septimo, & ultimo, Christi Verbo, in cruce prolato.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10209

160 CONTEMPLATIONES
deportabor ; ubi lacryma omnis de-
tergebitur.

*Ecce ! relinquo vobis Con-
summatorem boni omnis, mi-
tigatorem & finitorem mali
omnis : hic vos , ad ipsum
confugientes , solabitur , ser-
vabit , tuebitur ; cui animam
meam , cui vos , anima mea
dilectos , eternum commendo.*

CONTEMPLATIO-
NUM ET SUSPIRIO-
RUM HOMINIS
CHRISTIANI

XXII.

*De septimo & ultimo Christi
Verbo, in cruce prolato.*

ET si, Domine Jesu Christe ! ma-
gna est humilitas, magna est ab-
jectio, magna est afflictio tua, ut vix
homo,

homo, sed vermis esse videaris: tamen in septimo etiam & extremo, antequam exspirares, verbo tuo non homo tantum, sed & supra humanas vires positus videris. Altâ enim voce, spiritum tuum sanctissimum emisurus, exclamas: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.*

Ah! quàm luctuosum, quàm lamentabile, quàm funestum, quàm miserabile silentium! cùm luctuosus, lamentabilis, funestus & miserabilis homo animam jubetur suam efflare! Quàm taciturna, quàm lasca, quàm, ante mortem, mortua omnia: cùm feralis nos lectus sibi mancipat; cùm ultima solis umbra nobis diffugit; cùm furians mors telum acuit, quo pectus transverberet.

At tu, Domine! potentiam tuam etiam in morte testaris, non solum in extremo spiritu clamando, sed etiam terram concutiendo, lapides scindendo,

162 CONTEMPLATIONES
do, monumenta aperiendo, velum
templi dirumpendo.

Confessus inde ipse centurio, ho-
mo apud Ecclesiæ quidem membra
degens, sed extra Ecclesiam credens,
dixit: *Verè filius Dei erat iste.*

Verbum autem in mortalitate tua
ultimum diligenter notandum, & ac-
curatè pensitandum: *Pater! in
manus tuas commendo spiri-
tum meum.*

*Ultimum hoc fuit tuum:
ah! utinam ultimum esset
etiam meum! Et erit, Do-
mine! ita confido: Et exau-
diatur, Domine! ita spero.
Hoc enim mihi obtinuisti:
quoniam in cruce Et orasti,
Et pertulisti omnia, ut sum-
mus sacerdos; nec tuam tan-
tum*

tum animam Patri tuo commendasti, sed meam etiam, sed omnium fidelium, qui tui sunt corporis membra. Colligasti animam, cum tua, meam in fasciculum viventium; Et tradidisti in manus omnipotentis.

O quam penetrant animam & spiritum meum verba, quæ, ante viam mortiferam, effabaris, quibusque Patrem devotissime alloquebaris: ego pro eis rogo; non pro mundo rogo: sed pro his, quos dedisti mihi: quia tui sunt. Pater sancte! serva eos, in nomine tuo, quos dedisti mihi: ut sint unum; sicut Et nos.

SERVA

Serva eos à mundo: sanctifica eos in veritate. Non pro his rogo tantum; sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me: ut omnes unum sunt, sicut tu Pater in me, & ego in te; ut & ipsi in nobis unum sint: ut credat mundus, quia tu me misisti. Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis: ut sint unum; sicut & nos unum sumus: ego in eis, & tu in me; ut sint consummati in unum: & cognoscat mundus; quia tu me misisti, & dilexisti eos: sicut & me dilexisti. Pater! quos dedisti
mibi,

mibi, volo, ut, ubi sum ego, & illi sint mecum: ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi; quia dilexisti me, ante constitutionem mundi.

Quis pater filium, quæ mater natam, quis frater germanum commendare ulli posset arctius: quam tu, Fili Dei viventis! tuo nos Patri commendasti?

Audit Pater tuus degeneres nos filios suos, & adoptivos: quanto magis audiet obedientem te Filium usque ad mortem, & sobolem ex substantia sua genitam ab æterno? Imò jam audivit.

Numquid, ait ipse, ipse Pater tuus, oblivisci potest mulier infantem suum; ut filii uteri sui non misereatur? & si illa oblita fuerit; ego tamen non obli-

obliviscar tui: ecce in manibus meis descripsite.

Dicis & ipse tu, Christe Salvator! oves meæ vocem meam audiunt: & ego cognosco eas; & sequuntur me. Et ego vitam æternam do eis; & non peribunt in æternum: & non rapiet eas quisquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus est: & nemo potest rapere de manu Patris mei.

His adamantinis tuis effatis innixus ego, turbabor quidem, mortem recordatus; sed tamen non perturbabor: quia promissionum, meritorum & interces-

tercessionum tuarum pariter recordabor.

Cùm, permissu aliquando tuo, gravis artus morbus depopulabitur, & ex sanguinem semiputremq; cutem ambedet depascetqve; cùm gelido sudore facies liqvescet, & lethales me guttulæ humectabunt; cùm rubore suo liventia labella viduabuntur, ac è dentibus, horrido stridore fremiscentibus, murmur prorumpet tristissimum; cùm sol meus nebulis funereis noctescet, & meum mors caput diuturnis jam tenebris involvet: tu tamen, ô Sol justitiæ! me irradiabis: tu animæ luctanti &, virtute Spiritus tui, triumphanti suggeres verbum tuum:

Pater in manus tuas commendo spiritum meum!

CON-